Nobilissime Amplissimeque Vir

Precibus Te meis inclinari saepius passus es; sed inten-
siores nunquam aut calidiores fudi. An ideo proniorem
habuero? Equidem inter amicos semel accitus, sperare
id audeo: neminem namque semel amas, nisi ut semper, hoc
est, constanter, ames; adeoque miseriam, in quam incidi,
quo gravior, hoc citius curatam voles. Quam et quan-
ta, quanta sit, verbo habeas, ejulare cogor. Et hoc gravius
verbum, quod post se agmen trahit? Pago, quem viginti
duobus annis habito. A subditis, quibus totidem connixi.
Aedibus, ad quas ac suas Sua gloriosae mem. Celsitudo solita
diverteret; quasque officiorum praestitorum intuitu, ad vitam ha-
bitabiles decreverat. Proventibus, e quibus a condita pace
nondum obolo frui licuit, excedentibus hoc anno duo millia
floren. juxta modiorum, qui citra centum collecti, computum.
Ast quod gravissimum, hac cogor aetate ejulare, quae a sexagena-
ria parum abest. Hei mihi! Eheu Tu, Vir Magne, non com-
moveberis? Dices, sic meruisti. Merui fateor, sed non sic du-
riter haberi: etenim non ex praesumptione aut contuma-
cia peccavi, ast pauperculae lacrimis, quae se expellendam,
nisi contractum matrimonium doceret, ubertim lamentabatur.
Aliud namque (ita Deum testor) meminisse nequeo. At enim
vero Tuone id calculo grave adeo, ut vitae quantulumcunque res-
tat, per tot miserias sustentandae media simul omnia subtra-
hantur? Ah mitius Mi Domine! Annoso seni, sed Tibi charo
supra vires haec accidunt, et dum in emendicato lare, foro,
mensaque cibum ruminat, in miseriis succumbat necesse est.
Si merui, an non hoc trimestri plarum inter et minas, satis et
passus sum? Ergo hoc a Te velim: quoniam totali culpae
abolitioni Ordinum Illustriss.m recens decretum obstat, ut
ex gratia permittatur, ad duos vel tres menses, quos aura le-
nior sequitur, domi respirare, ac viatico comparando a de-
bitoribus, qui absentem non curant, vacare. Commendando
duntaxat, hac me gratia beaveris; atque eodem tendunt
hi libelli, quos ut praesentare digneris, suppliciter oro.
alterum Illustri Domicellae [illegible] destinaveram, sed absentem
intelligo. — Interim peregrinando, etiam Bruxellas veni
ibique S. Celsit.m Imperialem accessi, et quae olim annis aliquot
inter Cardinal.m Principem et gloriosae mem.ae Auriacum gesta
essent, exposui: qui ubi benigne me auscultasset, respondit
his verbis, gaudeo te videre, et quae refers, etiam aliunde

© Private collection

https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0319

~~etiam aliunde~~ mihi constant; si in aulâ ~~velles~~ manere, præbendam primò vacantem addico: Cui gratijs dictis, quod hac ætate in antiquo nidulo mori malim; ac potentiâ Moderni Principis Auriaci eiusque Dominæ Matris hanc gratiam consequi sperarem; redij Antuerpiam, socijsque hisce dictandis vacare. — Aliud ibidem accidit huic dicto conforme, serium habere in poena, voluptas est: cum prandere apud Abbatem Trudonopolitanum, et adesset Archiep. Ypresinus, cognomine Torrez, notior fortè, neutro alterius sortis conscio, at hic ad porrectas in mensâ litteras ingemiscens, diceret ecce Ordinum Hollandiæ, perpetui exilij contra me decretum! Ego nequicquam tardior; en et meum! ac datâ manu ille, sumus ergo pares; absit, inquiebam, Tua dignitas, provincijs omnibus proscribitur, ego unius Provinciæ parte modicâ. Sed ne prolixior Tuarum videar gravissimarum occupationum immemor, tandem lacrimabundus oro, ut me, quomodo nunc affectum nosti, commendes, et ad quos hi ~~libelli~~, ut commendare dignentur, commendes; oratamquam qui est exitus

Nobilissime Vir

Tuæ Generositati
æternum deditus
B. a Kerke
Persona ac Pastor
olim
In Loon op Zant

Antuerpiæ 20a Februarij
a° 1650.